

v. 4. Omnis autem ἀνομία est contra νόμον. Imo peccatum, quod remanet in renatis, non frigide repugnat, sed ἀντιπρατίνεται, bellum infert legi mentis ipsorum, Rom. 7. v. 23.

9. Quibus ita dilucidatis, & ab ambiguitatis caligine sequestratis, evidentius effulget status quæstionis, nempe: *An remissio peccatorum, quam vere credentes per justificantem fidem in Christum acceperunt, per maleficia, contra conscientiam postea deinceps ab illis patrata, possit iis fieri irrita, hoc est, ut illa remissio tum non amplius iis maneat salva & rata, sed fiat ipsis irrita & cassa: proindeque priora etiam peccata illis impudentur?*

10. Nos affirmamus; Calvinistæ plerique negant. Contra quos ut veritas cœlestis eo clarius defendatur, jam duo Theoremata adjungam, iisque rem totam comprehendam. Hoc esto primum: Deus ipse sua culpa non irritat & infirmat datam a se vere credentibus peccatorum remissionem. Idque probo 1. Ab immutabili Dei constantia & veritate. Non enim est Deus, quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut pœniteat eum, Numer. 23. v. 19. Et triumphator in Israël non fallit, & non pœnitebit eum: neque enim est homo, ut agat pœnitentiam, 1. Sam. 15. v. 29. Et rectum est verbum Domini, & omnia opera ejus in veritate, Psal. 33. v. 4. Et verbum ejus manet in æternum, Esa. 40. v. 8. donaque Dei sunt ἀμεταμέλητα, Rom. 11. v. 29. neque ullum ipsius verbum fit irritum, Josuæ. 21. v. 45. nec incredulitas hominum fidem Dei evacuat, Rom. 3. v. 3.

11. Nec hoc argumentum inde destruitur, quod scriptura Deo quandoque pœnitentiam tribuit, Gen. 6. v. 6. 7. & 1. Sam. 15. v. 11. Psal. 106. v. 45. Jer. 18. v. 10. & 26. v. 13. & Joël. 2. v. 14. Nam, ut ait Damascen. dialog. de Manich. hæres. p. 563. Pœnitentia Deus affici dicitur more nostro, ἢ γὰρ γράφῃ ἀνθρωπικώτερον ὡς ἰησοῦς ἀλάγεται, πρὸς τὴν νηπιότητά των ἀκρόντων. Veluti illud est (pergit Damascenus) cum dicitur; *ut quid dormis domine?* Neque enim Deus dormit, sed tolerantiam ejus ad lenitatem, auxiliique sui dilationem, somnum vocavit. Qui namque apud nos dormiunt, non auxiliantur. Sic etiam se habet pœnitentia. Nos enim si cui pecunias dedimus, isque eis male abutitur, hujus facti pœnitet. Sic cum Deus hominem fecisset, Saulemque in Regem unxisset, illis male sese gerentibus, pœnituisse eum dicitur. Non quod in Deum cadat pœnitentia (præscivit enim, quid futurum esset) sed quod illi pœnitenda facerent. Hæc ille.

12. Proindeque Augustinus Tom. 6. l. 1. cont. Adversar. legis & Pro-